

ordinandi, per quod ad reddendas rationes compellerentur, quam amore religionis ad clericatum transire videantur, arg. can. *Legem*, dist. 53, ac notat Hostiensis in *Summa*, l. 1. in fine.

5. *Generaliter omnes implicati secularibus officiis, et negotiationibus, quæ in clericis non tolerantur, ordinari nequeunt.* — Resp. II. Præmissa constitutio, sive cit. cap. un. h. t. ampliatur ad omnia ea officia, et negotiationes sæculares quæ in clericis non tolerantur: ut est obligatio militiæ, can. *Legem, quam*, dist. 53. Item conductiones vectigalium, aliisque negotiationes sæculares clericis prohibite, in cap. 1. et II. *Ne clerici vel monachi*, etc. et can. *Credo*, 21, q. 3. Unde, sicut talia mere sæcularia officia clericis sunt interdicta, juxta illud divi Apostoli 2 *Timoth. II, 4. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, et canones proxime citatos cum similibus; ita multo magis interdictum, atque prohibitum esse dignoscitur, hujusmodi sæcularibus officiis, atque negotiationibus, etiamnum implicatos ad clericatum promovere; nisi exemplo sancti Matthæi Apostoli prius ab hisce obligationibus et functionibus sæcularibus, sese liberos reddiderint.

6. *Exempla regulam non restringunt, sed declarant.* — Nec obstat, quod in d. cap. un. h. t. solummodo fiat mentio de procuratoribus, actoribus, executoribus, et curatoribus, seu tutoribus pupillorum; de quibus postea subjungitur, quod *ante libertatem negotiorum, seu officiorum suorum ordinari non debeant*, ne Ecclesia infametur; quamvis post deposita onera et redditas rationes, si cæterogam digni fuerint, ordinari valeant. Non obstat, inquam, quia præfata officia potius exempli causa hic exprimuntur. Atqui exempla regulam non restringunt, arg. L. 1. § *Quod vulgo*, ff. *De vi et vi armat.* Quinimo ea declarant dispositionem de similibus esse intelligendam, arg. can. *Jus naturale*, dist. 4 et c. *Inter cæteras, de Rescriptis*, et cap. 1. *Ne clerici vel monachi*, etc. et notat Fagnanus c. *Non minus*, n. 30. *de Immunit. Eccles.* ac proinde, quæ in præsentī cap. un. h. t. dicuntur de procuratoribus, actoribus et tutoribus recte a similibus, atque ob paritatem rationis, extenduntur ad cætera officia sæcularia clericis interdicta.

7. *Gerentes talia munera, quæ clericis suscipere licet, ordinari non prohibentur.* — Notanter additur, «officia sæcularia clericis interdicta, » quia illa munera, quæ clericis

pietatis intuitu, aut alia rationabili de causa suscipere concessum est, pariter a clericatu suscipiendo neminem repellere debent. Hinc quia in can. *Pervenit*, dist. 86, clericis conceditur, quod juxta leges possint agnatorum suorum tutelas, et curationes in se suscipere sicque ipsorum tutores et curatores esse, licet ad hoc cogi non possint, ut notat Glossa ibid. §. *Tutelas*: et quia juxta eundem canonem, qui reperitur in can. 1, caus. 21, q. 3, iidem clerici propter timorem Dei possunt esse administratores rerum Ecclesiæ, sicut et pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum, quæ maxime ecclesiastico indigent adminiculo: consequenter etiam talia munia gerentes, atque in officio suo perseverantes, poterunt ad ordines promoveri, si cæterogam digni reperiantur. Glossa magna in cap. un. h. t. ubi plura circa præsentem materiam breviter resolvit.

8. *Si quis ad ratiocinia obligatus credito creditore ordinetur, bona ejus cedunt creditori in solutum.* — Queritur III. Quid agendum, si quis adhuc ad ratiocinia obligatus, contra prohibitionem creditoris de facto fuerit ordinatus? Resp. I. Bona taliter ordinati redduntur, seu cedunt creditori in solutum usque ad redditas rationes, condignamque satisfactionem. Ita Glossa, cit. cap. un. §. *Infamatur*, et Abbas, ibid. n. 7. h. t.

9. *Et si ejusmodi bona non sufficiant, alio modo satisfaciatur.* — Resp. II. Quod si ejusmodi bona non sufficiant, tunc is ab episcopo adigendus est, ut alio modo, prout et quamprimum fieri potest, convenienter satisfaciatur: sin minus ipsemet episcopus, si fuit in culpa talem scienter ordinando contra voluntatem creditorum, tenebitur pro ordinato. Ita Glossa, et Abbas, ubi supra et alii. Et quidem priorem partem suadet ipsamet naturalis æquitas, et obligatio virtutis justitiæ, volentis, ut cuique suum reddatur, quantum possibile fuerit.

10. *Aut episcopus scienter ipsum ordinans, tenebitur pro ordinato.* — Altera vero pars ex eo probatur, quia episcopus talem scienter ordinans, isto suo facto ademit creditoribus potestatem absolute exigendi debitum ob privilegia clericalia; simulque ordinatæ abstulit facultatem negotiandi, atque de novo lucrandi, unde creditoribus postmodum satisfacere posset, cum post susceptos sacros ordines negotia sæcularia amplius tractare non valeat, can. *Fornicari*, dist. 88 cum similibus. Ergo non mirum, quod episcopus

scienter talem ordinans, pro ipso teneatur.

11. *Quid juris si talis episcopo ignorante, in fraudem creditorum sacros ordines receperit? Et an iste sit suspensus, vel irregularis.* — Resp. III. Quod si ratiociniis obligatus malitiose, ac in fraudem creditorum, et episcopo ignorante sacros ordines receperit, tunc is ab episcopo arbitrarie puniri poterit, ac debet, ne crimina maneat impunita. Nihilominus sic ordinatus propterea non deponitur a suscepto ordine, ut recte notat citata Glossa, §. *Infamatur*. Nec etiam talis ab ordinam exercitio est suspensus, neque aliqua irregularitate irretitus; cum nullo jure quid tale reperitur cautum. Excipe, nisi forsitan talis fuisset sacris ordinibus initiatus absque titulo sufficientis sustentationis, quem falso finisset: tunc enim foret ipso jure suspensus, juxta dicta superius, tit. *de Ætate et qualitatibus ordinandorum*, § 7, n. 182, et seqq.

TITULUS XX.

De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Post impedimentum defectus natalium, item conditionis, et obligationis ad ratiocinia, proceditur ad vitium corporis, quod pariter prohibet quosdam ordinari.

2. *Præsens titulus differt ab eo qui est de Clerico ægotante vel debilitato.* — Est sciendum, quod præsens titulus differt ab illo, qui habetur libro III *Decretalium, de clerico ægotante, vel debilitato*: nam ibi queritur, an clericus ægotans, vel debilitatus, debeat amittere beneficium ecclesiasticum, quod jam adeptus fuerat; hic autem, aut alius possit ordinari, aut in jam susceptis ordinibus ministrare. Hostiensis in *Summa* h. t. a princip. Quibus prænotatis,

3. *Corpore vitiati, qui?* — Queritur I. Corpore vitiati qui sint, et an ordinari valeant? Resp. II. Illi censentur esse «corpore vitiati, » qui vel sunt corpore debilitati, vel mutilati, vel deformes. Generatim enim loquendo vitium corporis est triplex, videlicet debilitas, mutilatio, ac deformitas ipsius, prout notat idem Hostiensis, loc. cit., n. 1. et seqq. ac sequuntur alii passim.

4. *Debilitas corporis.* — Debilitas corporis consistit in defectu virium, seu inefficacia

membrorum ad præstandas suas naturales operationes. Unde illi dicuntur *debilitati*, qui omnia quidem membra habent, sed tamen unum, aut alterum eorum est inefficax, seu insufficientis ad exequendum ministerium suum: ut puta, si quis habeat manum ardam, oculum cæcum aut hujusmodi.

5. *Mutilatio in quo consistat?* — Mutilatio consistit in carentia membri, sive dein hæc proveniat a natura, sive ab extrinseco: unde *Mutilatus* dicitur ille, qui caret membro aliquo. Per membrum autem proprie intelligitur pars aliqua principalis, quæ peculiarem in corpore functionem, seu operationem habet: ut oculus visionem, auris auditum, manus apprehensionem, pes gressum, ac hujusmodi, arg. can. *Singula*, dist. 89, ac notat Abbas in cap. 1. n. 10. *Qui clerici vel novente*, etc.; Covarruvias, part. III, Clem. *Si furiosus*, n. 8; Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 42, n. 11 et alii.

6. *Deformitas, in quo consistat? Per membrum, quid proprie intelligatur?* — Deformitas tandem importat maculam quamdam, seu defectum notabilem in membris exterioribus. Atque idcirco illi censentur deformes, qui habent ejusmodi maculam, seu vitium notabile in membris suis, ratione ejus sine indecentia, scandalo, horrore, aut risu aliorum conspici nequeant: ut sunt habentes monstruosum gibbum, vel oculum erutum, aut nasum abscissum, item graviter claudicantes, leprosi, ac hujusmodi.

7. *Corpore vitiati non sunt ordinandi, nec ad clericalem tonsuram promovendi.* — Resp. II. De corpore vitiatis extat regula in can. *Non confidat*, dist. 50, cum concordantiis, quod divini non sint applicandi ministeriis, nec ordinandi: adeo, ut ille, qui patitur vitium corporis dumtaxat celebrationem impediens, puta quia caret pollice, etc., non possit absque dispensatione promoveri ad ordines etiam inferiores, vel minores, imo nec ad primam tonsuram, prout tenuit Rota in *una Romana pensionis*, 3 junii 1583, coram cardinali Seraphino, quam refert, ac sequitur Nicol. Garcias, part. VII *de Beneficiis*, cap. XII, n. 28, et seqq. post Suarez, Toletum, et alios, quidquid nonnulli contradicant. Nam generale est, quod corpore vitiati, utpote irregulares, non possint ordinari, nec divinis applicari ministeriis, cit. can. *Non confidat*, cum similibus: atqui applicatur divinis ministeriis, qui vel ad clericalem tonsuram admittitur et multo magis ad ordines; ergo.

8. *Et quid, si vitium corporis post susceptos ordines superveniat.* — Secus est dicendum, si tale vitium, seu defectus corporis absque culpa superveniat post susceptos jam ordines: quia tunc non redditur quis ex toto irregularis, sed solum quoad illum actum ordinis, quem ob ejusmodi vitium corporis vel nullo modo, vel saltem non absque notabili deformitate, exercere potest; ut cap. II, *de Cleric. ægrot.*, et notat Abbas ibid. Navarrus cap. XXVII *Manual.*, n. 200. § *Septimo*, et communis, atque amplius in progressu dicetur.

9. *Ubi vitium corporis vel impedit exercitium ordinis, vel notabilem deformitatem causat, inducitur irregularitas, et prohibetur quis ordinari.* — Quæritur II. Quandonam corpore vitiati censeantur irregulares, atque ordinari prohibeantur? Resp. I. Generatim loquendo, ubi vitium corporis est tale, ut vel impediat congruum exercitium ordinis, ac præsertim celebrationem Missæ, vel saltem notabilem deformitatem causet, tunc illud inducit irregularitatem, ac prohibet quempiam ordinari, sive incuratur ex propria culpa, sive absque culpa. Ita Abbas Panormitan. in cap. II, n. 1. *de Clerico ægrot.*; Navarrus, cap. XXVII, *Manual.* n. 200; Covarruvias in Clem. un. *de Homicidio*, part. I, circa initium, Pirhing, h. t. n. 2, et alii communiter. Idque probatur inductione, allegando simul diversa jura hoc ipsum decidentia.

10. *Mutilatus manu nequit ordinari, imo ad abbatiam promotus deponitur.* — Sic imprimis quando quis manu fuit mutilatus, pro tam enormi defectu ad sacros non potest ordines promoveri text. clar. c. *Exposuisti*, 6 h. t. Ubi idcirco deciditur, quod promotus ad abbatiam tacito tali defectu, etiam ab abbatia sit deponendus: quia nimirum abbates de facto debent fieri presbyteri, cap. I, *de Ætate et qualitat. præficiend.*

11. *Carens medietate palmæ, ordinari non potest.* — Deinde presbyter, cui medietas palmæ cum duobus digitis per prædonem fuit abscissa, Missam celebrare non permittitur: quia ob debilitatem membri nec secure id facere posset, ut dicitur cap. II, *de Cleric. ægrot.* Unde a fortiori ita mutilatus ordinari non valet.

12. *Bene tamen jam ordinatus potest exercere actus ordinis, in quantum valet, et cur?* — Nec obstat, quod ibidem dictus presbyter post amissam medietatem palmæ suæ adhuc, dempta celebratione Missæ, cæteris sacerdo-

talibus officiis fungi permittatur; sicque liceat ipsi poenitentes absolvere, aquam lustralem benedicere, matrimonio assistere, mortuos sepelire, ac hujusmodi. Resp. enim, hoc solummodo procedere quoad jam ordinatos, utpote respectu quorum vitium corporis superveniens dumtaxat prohibet exercitium ordinum susceptorum, quatenus urget impedimentum: non vero quoad ordinandos, juxta cit. can. *Non confidat*, dist. 50. Et ratio disparitatis inter istos est: tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent c. *Ad apostolicam. de Regularib.* sicque non mirum, quod superveniente sine propria culpa vitio corporali, antea jam ordinatus in suscepto ordine, quantum fieri potest, ministrare permittatur; non autem tali ordine primum initiari; tum quia, « Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes, » ut habet vulgatum axioma, et notatur in c. *Quemadmodum*, 25, *de Jurejurand.*; tum tandem, quia afflicto non est addenda afflictio, c. *Ex part. 5, de Cleric. ægrot.* ac proinde clericus jam ordinatus, si postea sine sua culpa mutiletur, merito permittitur illos ordinis actus exercere, quos absque deformitate potest præstare: non autem laicus jam mutilatus de novo ordinari. His adde dicta superius n. 7 et 8.

13. *Carens pollice, vel indice, aut ejus unguis, num possit ordinari?* — Tertio, carens pollice aut indice dextræ, seu sinistræ manus, vel ipso ita debilitatus, ut sacram Hostiam frangere nequeat, ordinari non potest; argumento a sensu contrario desumpto ex cap. ult. h. t. ibi: « Si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens: » ac notat Barbosa in collectan. ibid. num. 3 et 4, citans alios. Nam omne vitium corporis, quod præstat impedimentum executioni ordinis (ut fit in proposito) vel insignem inducit deformitatem, impedit quempiam sacris ordinibus initiari. Covarruvias in Clem. *Si furiosus, de Homicid.* part. I, in princip., num. 5; Navarrus, cap. XXVII, *Manual.*, num. 198, et 199. et alii. Econtra vero non prohibetur promoveri ad sacerdotium, qui caret solummodo unguis pollicis dummodo ad frangendum Eucharistiam adhuc in pollice sit fortis et sufficiens; prout expressum habetur cit. cap. ult. h. t. Quod procedit, si aliunde notabilis deformitas non concurrat; simulque talis defectus propria culpa non acciderit: quod additur ob dicenda inferius num. 25, et seqq.

14. *Et quid de eo, qui caret alio digito? Vel*

habet sex digitos. — Quarto, carens digito sinistræ manus absque sua culpa, irregularis non est, text. clar. can. *Lator.* dist. 53, ubi Glossa finalis hoc extendit ad digitum manus dextræ, dum tamen non concurrat deformitas magna. Quinimo id ipsum esse dicendum de eo, qui caret digito medio, censet Barbosa, part. II, *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 42, n. 21, contra Sayrum *de Censuris*, lib. VI, cap. xv, n. 16, et quosdam alios. Ratio est: quia digitus non est proprie membrum nostri corporis; simulque digitus medius non deservit Eucharistiæ tangendæ, atque frangendæ, ad instar pollicis et indicis de quibus num. præc. jam dictum. Cæterum qui senos habet digitos in manibus, non censetur irregularis, prout innuit Glossa can. *Qui partem*, dist. 53, et favet textus in l. *Idem officium. ff. de Ædilit. edict.*

15. *Claudus an valeat ordinari?* — Quinto, qui adeo est claudus, ut nequeat sine pede ligneo, vel sine baculo incedere, nequit ordinari in presbyterum, can. *Nullus episcopus de Consec.* dist. 1, ac notat Glossa ibid. §. *Cum baculo.* Secus, si dumtaxat claudicans effectus sit, can. *Si quis in infirmitate*, dist. 53, dummodo alia notabilis deformitas non concurrat, arg. cap. II, h. t.

16. *Carens oculo, vel in eo habens maculam, an ordinari possit?* — Sexto, censetur irregularis, atque ordinari prohibetur, cui oculus erutus est; ut habetur in can. *Si evangelica*, dist. 53, ibi: « Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum canones sacerdotii jurâ concedi: » siquidem hujusmodi carentia organi oculi notabilem parit deformitatem. Secus dicendum de eo, qui habet in oculo maculam, quæ non inducit magnam deformitatem: nam talis non est prohibendus ab aliquo ordine, etiam si sit episcopalis; ut cap. II, h. t.

17. *Quid si quis careat solo visu oculi dextri?* — Idemque dicendum de eo, qui caret solo lumine, aut visu dextri oculi, modo habeat utrumque oculum integrum; vel qui habet visum ac intuitum brevem, aut non videt sine perspicillis; quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem.

18. *Aut sinistri, quem vocant oculum canonis?* — Utrum autem, qui caret visu oculi sinistri, quem stylus Romanus *Oculum canonis* appellat, eo quod necesse sit videre eo, ut quis canonem Missæ sine indecora, et nimia faciei conversione legere possit, sit irregularis, variant doctores. Nam talis a quibusdam

absolute censetur irregularis, arg. c. *Constitutionem 2, de Verb. signif.* in 6 ibi: « Manifestum defectum in visu. » Ubi Glossa idem de carente oculo, et de carente ejus visu sensisse videtur: atque istud, loquendo de oculo sinistro, tenet Suarez, dist. 51, *de Censuris*, sect. 3, n. 15; Nicol. Garcias, part. VII *de Beneficiis*, cap. XII, n. 22, et sequuntur plures alii, volentes, talem esse irregularem eo quod careat oculo canonis. Alii tamen id limitandum existimant, si absque notabili deformitate seu indecentia canonem legere nequeat, aut defectus ille cum alia gravi fœditate faciei, seu oculorum sit conjunctus; prout notat Navarrus, cap. XXVII, *Manual.*, n. 199; Layman, lib. I, *Theolog. moral.*, tract. V, part. V, cap. VII, n. 2; Diana, part. IV, tract. II, resol. 73; Barbosa, lib. I, *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XXXIII, n. 140, et part. II, *de Offic. et potest. episcop.* alleg. 42, n. 31, cum plurimis aliis, quos citat. In dubio autem siandum erit iudicio ordinarii, juxta proxime dicenda.

19. *Irregularis est leprosus, paralyticus, arreptitius, etc.* — Insuper ex hoc capite irregularis est leprosus, paralyticus, phreneticus, arreptitius, sive a dæmone obsessus, morbo caduco laborans, ac hujusmodi, can. *Communiter*, dist. 33, et can. *Præcipimus*, dist. 34, et c. *Tua nos*, ac seqq. *de Cleric. ægrot.*, cum similibus. Veruntamen si tales integre convalescere videantur, ac jam ante ordinati erant, possunt admitti ad celebrationem. Sacerdos quoque, si morbo caduco laborans raro cadat, et etiam sputa ore non evomat, privatim celebrare potest, adjuncto ei socio sacerdote, qui Missam prosequi possit, si alter deficiat. Layman, cit. cap. VII, n. 2, seqq. citans alios.

20. *In dubio de gravitate vitii corporalis, pertinet ad episcopum id judicare.* — Quæritur III. Ad quem in dubio pertineat judicare de gravitate vitii corporalis circa ordinandos? Resp. I. In dubio utrum aliqua membri debilitas adeo sit gravis, vel deformitas tam scandalosa, ut inducat irregularitatem, atque impediat receptionem ordinum, seu ipsorum executionem, id relinquatur determinandum iudicio episcopi promoventis. Ita desumitur ex cit. can. *Communiter*, dist. 33, et cap. II, h. t. ac tradit ibidem Glossa fin. et Abbas, n. 1; Navarrus, cap. XXVII, *Manual.* n. 200; Menochius, lib. II, *de Arbitrar. judic.* casu 226, n. 7 et 8, et alii. Nam, cum ob maximam casuum particularium varietatem omnia lege